DE VITA ILLUSTRIS VIRI

AUGUSTINI MILLETICHII

EPISCOPI OLIM DAULIENSIS,

ET VICARII APOSTOLICI IN BOSNIA

COMMENTARIUS

AB ALUMNO EJUSDEM PROVINCIAE CONFECTUS.

ROMAE
M . DCCC . XXXV.
TYPIS COLLEGII URBANI.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

JACOBO PHILIPPO FRANSONIO

S. ROM. ECCL. CARDINALI

S. CONSILIO PROPAGANDAE FIDEI PRAEFECTO.

Duo sunt, PRINCEPS EMINENTISSIME, quae Commentariolum hocce de viro in Dei Ecclesia illustri, amplissimo Nomini tuo inscribendum suaserunt: primum, quod Augustinus noster, cujus praeclara ornamenta rudibus tantummodo lineamentis hic adumbrantur, merito censendus sit, tamquam Alumnus istius S. Collegii, cui Tu, auspicatissimo Christianae Reipublicae omine, recens es Praefectus; resque ipsa innuebat, nobiliores hosce Bosniensis agri fructus, primis vineae Dominicae Cultoribus esse offerendos: alterum, quod virtus non potest non ipsi placere virtuti; et quod illa Augustini facilius, sub tanti Nominis patrocinio, ab oblivione vindicari posse videtur.

De Tuis quidem, quibus emines, summis virtutibus altum silere me jubet et Tua modestia, et mea etiam parvitas. At non possum palam non gratulari tum iis omnibus, quos sincerus Dei, hominumque amor

2

opem Tuam in genuinae Religionis emolumentum implorare jusserit, tum etiam mihi ipsi, vel potius Genti meae Illyricae in Bosnia, quod scilicet, per Tuam ad istum sublimem locum promotionem, tam benignum nacti simus Patrem, qui singulorum necessitates adeo comiter audiat, tam serio expendat, et tanta charitate, ac prudentia studeat sublevare; ut non nisi sola rerum impossibilitas efficacissimo Tuo Religionis studio limites defigere valeat. Felicem non tam me, quam Nationem meam, dummodo spirituales ejus necessitates scirem, pro parte et officio meo, rite aperire paternae teneritudini Tuae, istiusque S. Consilii, quod de universo hominum genere non cessat aeternum mereri: id enim easdem prope sustulisse foret. Ast sicut sagaci acumine omnia pervadis, et muta etiam penetras suspiria, ita Te enixe oro, Princeps Eminentissime, ut hocce munusculum benigno excipias animo, et tenues conatus aequi bonique consulas.

1. Bosnia fuit Augustini Patria, prosapia virtus: ortus genere, nec fortunis, nec aliqua seculi dignitate, at certe prisca probitate illustri, habuit natales in oppido cui nomen Fojnicza, primamque lucis usuram cepit die 16. Febr. 1763. Hic, cum in iis rebus, quae naturâ, aut fortunâ darentur hominibus se vinci aequo animo pateretur; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non potuisse, tota sua declaravit vita. Quamquam ipsa etiam natura adeo illi fuit liberalis, ut facile intelligi posset, eam cum virtute quasi conspirasse in formando eximio humanae societatis ornamento. Ac operae quidem pretium fore videtur, nec res forte ingrata lectoribus; si, quid natura in virum hunc contulerit; quae ingenii, animique fuerint dotes; quo studio cultae, et quemadmodum ab eo usu sint exercitae; pro ea, quae ab incultae Regionis indigena expectari potest, parte, dilucide, paucisque ero persecutus. Itaque volenti mihi exprimere imaginem consuetudinis, atque vitae Augustini, dicendum videtur primum de studiis ejus, et quo successu sit eruditus; ubi etiam de moribus, ingeniique facultatibus: tum, quem suae fecerit eruditionis usum in bonum aliorum: deinde qualem vitae privatae tenorem sit secutus; et si qua alia digna memoria erunt: postremo, quomodo, et quo desiderio sui decesserit.

2. Natus igitur loco, quo dixi, honestis, piisque parentibus: eruditus autem sic, ut nemo Bosniensium magis: nam adolescens, ut ingenua erat indole, ac eximia, pari voluntatis ardore, atque acumine ingenii accessit ad litteras, quas quidem in Regno Bosniae soli fere ex ordine S. Francisci Religiosi colunt in tribus Coenobiis, quae a Turcarum invasione, communi Regni ruinae, ac libertatis

excidio supervixere. Hic in Ordinem Seraphicum cooptatus, sumpta Religionis veste solemnia nuncupavit vota. In Austriacas deinde terras primum missus, Graecii in Styria humanioribus fuit imbutus litteris. Tum profectus in Italiam, in severiores philosophiae, atque Theologiae disciplinas totus incubuit. Utrubique autem sic vixit, ac versatus est, ut universis merito esset carissimus: ipsis adeo generosis condiscipulis suis non minus aemulationi erat, atque dilectioni. Ut ad patentes sublimiorum veritatum campos adolescens fuit eductus, impiger, acer, avidusque dubium reliquit, majorine alacritate, et vi uberrima felicis, explicatique ingenii, an laetiori fructu stadia decucurrerit litteraria; sacrum sciendi ardorem sic temperans illuminatae pietatis operibus, ut non modo integerrimo vitae semper niteret candore, verum exemplar quoque insigne esset professi observantiae Instituti. Idcirco unus omnium visus est maxime idoneus, quem juvenem Cathedrae utriusque facultatis certatim expeterent: quas primum Brixiae, tum Patavii novem circiter moderatus est annos; plaudente, sibique de tam eximio Praeceptore gratulante auditorum choro: donec, circum fama viri ditità, atque sensim percrebescente, S. Memoriae Pius Papa VII. de illius pari pietate, atque eruditione, morumque elegantia certior factus; eumdem, nihil tale opinantem, immo, qua erat modestia, obnitentem, auctoritate sua Bosniensi in Provincia Othomanica Ecclesiae, cum titulo Episcopi Dauliensis, omine auspicatissimo praefecit.

3. Ex Regionibus exteris redeuntem, magnamque omnium de se expectationem, majori virtute superantem suum Augustinum laetabunda complexa est Bosnia Catholica, quae tanto viro aucta, pio quodam fastu sese solebat efferre, quamdiu vivebat ille, cujus ipsa egregiis reflorescebat curis. Nec sane insolenter: namque, si quid apud homines pretii habent munera naturae; ea adeo insignia sese offerebant in Augustino, ut, quae in aliis non nisi parce distributa reperiuntur, in eo uno, amico quodam vinculo copulata, et singula prope summa viderentur: quod si ea, quae a sortis volubilitate non pendent, expendantur; is fuit Augustinus, ut, dum corpus nobile domicilium, animus ejus inviolabile virtutis sacrarium censeretur.

4. Spirabat enim ex fronte, oculis, vultu, gestu, toto denique externo corporis habitu, nescio quae majestas, una ac suavitas; ut non dubia imago transpareret magnae cujusdam, sublimis, et eximiae mentis. Ac natura quidem ipsa videbatur quampiam in eo donorum harmoniam, et proportionem sollicite conservasse, ut in viro, caetera humillimo, nihil humilis, parvi nihil, nihilque inesset non amoenum, et gratum. Quo fiebat, ut aspectu, gressu, voce, gestu, insignibus praesertim suis indutus, omnium ad se traheret oculos, et devotione non minus, ac sui veneratione perfunderet, atque dignitati suae novam quamdam adderet dignitatem. Vultus ad severitatem compositus, sacro quodam horrore intuentes quidem replebat, sed una nativum suum semper retinebat decus. Sermo vel maxime hilaris, gravi semper decore erat temperatus. Itaque ejus severitas non sine comitate erat, nec facilitas sine gravitate, ut difficile esset intellectu, utrum eum sui magis vererentur, an amarent. Cum autem vi penetrandi et ingenio plurimum valeret, ea memoriae erat amplitudine, atque fidelitate, ut, cum omnium admiratione, quae seu legerat seu quandoque audierat, pro re nata illico in promptu haberet. Ut pectore robusto, firmisque erat dotatus lateribus, sic rara sane oris facundia, talique, quae ad sensus audientium cum suavitate afflueret, ac illaberetur, ad publice dicendum natus quasi videbatur. Erat omnino novum in Bosnia phaenomenon, audire in publico virum, qui, cum prudentia, et acumine, et venustate, et gravitate, tum vero eloquentia, copia, invieto dicendi robore, quamsecumque in partem dedisset, eo animos impelleret, eorumque arbitrium habere videretur. Atque haec quidem videntur majori ex parte dotes fuisse naturae, quamquam ab animi virtute interna quodammodo illuminatae, a qua suam et repetebant, et retinebant vitam atque dignitatem. Excultae autem fuere eo, quo jam dixi, studio, et voluntate.

V. Nunc, quoniam loqui institui ea de virtute, quae proprie talis est, neque quam vanitas hominum, aut praestigiatrix sibi effinxit imaginatio, sed qualem Divinis illuminata paginis nobis exhibet ratio; sub hoc respectu Augustinum considerare lubet. Hoc autem totum, publico

suarum usu facultatum, et privata ejus vita continetur. Visus est omnibus, quae a natura acceperat, sic semper uti, nihil ut sibi retineret, totum ut multiplici cum foenore bonorum omnium redderet Auctori. Majestatem personae, ad reverentiam sacri sui ministerii; praerogativas animi, ad conciliandam fiduciam; eloquentiam, ad gloriam Dei, hominumque perfectionem, et salutem perpetuo adhibuit: utque id faceret, magna sane, qua in Deum, hominesque ferebatur, charitate fiebat. Haec una omnium ejus actionum motrix esse videbatur: ab ea omnis vigor, omnis impulsus. Hoc spiritu plenus, incredibile dictu est, quam ardua pro sui salute populi susciperet; qua cura, qua virium contentione omnes viva, ut ajunt, voce in Dei lege instituere, errantesque ab exitio retrahere, et propriis velut humeris ad caulam Domini referre sui fidelis satageret Pastor. Gregem suum, per totum, qua late patet, regnum Bosniae dispersum, trifariam partitus, quotannis ita singillatim invisebat, ut unoquoque triennio eosdem iterum reviseret, ut in fide, ac christiana integritate confirmandi haberet copiam. Tanta itinera infatigabilis conficiebat, partim jumento insidens, partim pedes gradiens per asperas, praeruptasque vias. Nulla incommoda, quibus longo jam habitu induruerat, nulla vitae pericula ardorem ejus poterant retardare. Et quamvis more suo, mox a media fere nocte se viae cum comitatu soleret committere, nunquam tamen iter est aggressus, non oblato prius, (quod numquam omittebat) devoto Missae sacrificio. Longis hospitiorum intervallis, atque suspicione insidiarum factum est saepenumero, ut, ingruentibus tenebris, noctem in silvis, humi leviter causapi tectus, transigeret. Itinera ejus toto vitae decursu, per singulos annos, hieme excepta, interrumpebantur paucorum dierum mora, quae in singulis parochiis saluti suorum necessaria videbatur. Quemadmodum autem ipse, incredibili ardore omnium sitiens salutem, singulas gregis partes vigil semper, sedulusque circumibat; ita vix dici potest, quo desiderio, quave alacritate oves, per deserta incultae Regionis dispersae, comperto boni adventu Pastoris, quem et clarissima fama, et sua etiam multo melius utilitate jam noverant, ex remotis

locis praecipiti passu, ad eumdem audiendum, laetae confluebant. Ille vero conversus ad multitudinem, sub dio caeteroquin (neque enim licet habere Ecclesias) in aperto aliquo, vel arborum ramis umbrifero loco collectam, tanta eloquentiae vi, et fervore, et vehementia, et Spiritus unctione verba faciebat, vulgus ut in lacrymas crebrius prorumperet: qui vero plus saperent, se Paulum crederent audire, digitumque Dei in viro suspicerent. Etenim fidem excedebat, in corpore, tantis vigiliis, mole laborum, ac ipsa etiam aetate attrito, tantum posse inesse vigoris, atque firmitatis, ut functionem sacram saepe per quinque, subin vero ad septem horas protraheret. Res tanto mirabilior visa, quod id quotannis, omnibus Dominicis, festisque diebus, a Paschate, circa quod tempus visitationem erat aggredi solitus, ad Novembrem usque factitaret. Exprimebat in se Augustinus augustam quamdam circumspecti tenerique imaginem Patris, qui a filiis peregre aliquo profecturus, reditus sui velut incertus, futurae autem sollicitus eorum sortis, omnia prudens ante iter disponit: ita plane ille a nulla gregis parte putabat sibi prius esse recedendum, quam universa fidei, morumque praecepta, et quidquid sacrae litterae, patrumque continent monumenta, summatim, ac dilucide, qua erat ingenii, et memoriae felicitate, cuique fidelium portioni oretenus instillaret, et quasi testamenti hereditate relinqueret. Neque vero caritas viri patiebatur, ex lege Dei quemquam ignorare quidquam. Cumque tam prolixus esset in dicendo, brevis tamen non raro videbatur: tanta erat sacri vis oratoris, tantum pondus ac dignitas rerum. Quamobrem copiosi utriusque sexus schismatici, ipsique adeo Turcae multi, bonae odore famae, virtutisque illius exciti, et data opportunitate, coetui admixti Catholicorum, aut in vicinis dumetis subinde latitantes, sonum apostolici oris, arrectis auribus saepe avidi captabant: concione autem soluta, redibant pectora tundentes, plerique de rerum veritate persuasi, nec pauci ex prioribus postmodum conversi.

6. His rebus fiebat, ut Parochorum, Antistitis sui confirmatorum exemplo, laudabili sano accedente opera, populus Bosniensis vix alteri cuiquam concederet populo,

sive fidei integritate, in nulla quippe adhuc parte peregrinis corruptus doctrinis; sive probitate morum; seu obedientia, sensuque Religionis; seu denique, quod vix credibile videbitur; ipsa etiam a superstitionibus immunitate, quamvis inter maxime superstitiosas versetur gentes: quarum quo absurdior credulitas est, eo magis a quavis ejus umbra refugiunt Catholici. Nihil Augustinum tam solicitum tenebat, quam ne quis lupus sub pelle ovina suum invaderet gregem; neve satan aliquis in commisso sibi agro lolia misceret, et insereret zizania, quae nusquam pullulare poterant, quin ejus vigilantiâ illico in viridi emorirentur. Quo autem tardissimi etiam quique, planiore via ad Religionis cognitionem deducerentur, doctrinam ejusdem, patria linguâ, et perspicua brevitate a se enucleatam, semel, atque iterum, Roma probante, imprimi curavit: adjunctis pluribus providis ordinationibus, quae Parochis essent normae, et quibus populus intra fines recti, honestique facilius contineretur. Nihil omisit, immo nihil non egit, quo nitor altarium, sacraeque supellectilis, quoad ejus fieri poterat, et quantum per omnium penuriam rerum licebat, restitueretur. SS. Cordis Jesu, atque Dominae Angelorum cultor sane eximius, non tam verbis, quam piis exemplis amorem eorum in suis mirifice auxit.

7. Qui grandi sunt, vereque nobili animo viri, ii a vulgaribus in eo potissimum differunt, quod casibus superiores, et velut extra sortis rotam, aleamque fortunae constituti, pari fastigio in utraque fortuna stare, atque mente sublimi humana ex alto soleant speculari, vixque humum aliquando attingere videantur. Idem magnus animus, quibus rebus alii obruuntur, iis ille, tamquam flamma injectis trabibus alitur, et in altum semper eluctans, ipsa rerum adversitate clarius explendescit. Quodsi has magni in Augustino animi dotes factis vallem probare; haec tam multa sunt, tamque praeclara, ut nec de quibus dicerem, facile eligere; nec, si eligerem, commode, paucisque dicere possem. Verum quia modus adhibendus est, nec totum eum, quantus vir fuit, complecti valeo, id solum animadvertisse generatim sufficiat: eum in omni rerum humanarum lusu sui semper fuisse simillimum, sibique constantem: laborum ve-

ro adeo patientem, ut, cum iis dies non suffecissent, noctes in subsidium integras saepe vocaret. Quo diuturno exercitio id assecutus est, ut unius esset, alteriusve horulae somno plerumque contentus. Quod in aliis sunt Dioecesibus capitula, cancellariae, scribae, notarii, etc. hoc totum in vasto regno Bosniae solus erat Augustinus, dividens universas regiminis curas, eosdemque labores cum unico sibi a secretis viro, et Generali Vicario, A. R. P. Dominico a Varesh, aequali suo, sibique virtute simillimo: (cum hoc, a puero adeo conjuncte vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit). Non solum enim nolebat, commodi sui gratia, populum penuria sacerdotum laborantem, utili aliquo privare ministro, verum ipse etiam nonnumquam confessiones excipiebat Fidelium: ut adeo illustres illi tres curiae viri, et totum ferrent onus muneris episcopalis, et quae ultimi sacerdotum agerent, sibi putarent communia. Nullus cujusquam conditionis ipsi scripsit, quin sua eidem manu extemplo rescriberet. Nullus Parochorum in tota provincia fuit, qui non haberet acervum rescriptorum, et instructionum pastoralium, fuse etiam, claritatis causa, exaratarum ipsius, ut plurimum, charactere, et, quae eum distinguebat, Spiritus unctione. In adversariis unius Parochi, non ita pridem defuncti, repertae sunt 82. epistolae, manu Augustini scriptae.

8. Et haec quidem propius ad animarum salutem facere videntur: sed, quia virtus in Dei hominumque amore fundata, nequit in uno concludi genere, et foecunda in omnibus, omnia ad eumdem novit reducere finem; aliquid videtur esse innuendum ex iis, in quibus vir ille Patriae charitati, et ornamento, atque oppressorum contribulum servivit levamini. Quo ex genere haec placet delibare: cum observasset, inde ab initio regiminis sui, educationem juventutis in sortem Domini, ut dicunt, vocatae, multis in Patria retardari obstaculis; sustulit, quae poterat, graviora omnia, rebusque ordinem restituit: cooperantibus etiam tum aliis pluribus, quos sacer boni publici ardor habebat, cum vel maxime R. P. Mariano Jakovglevich, quem sibi habebat a secretis, et cui etiam viro pariter indefesso, ingeniique acerrimi, animi vero integerrimi, quantum ordo

debeat in Bosnia, atque Religio, paucis vix vel innui potest. Ab eo saue tempore, ex quo hi duo, tamquam Maecenates, conatus magistrorum fovere, solutisque impedimentis, studia efficaciter promovere coeperunt; nova reflorescentium apud nos scholarum epocha duxit initium: quodque multos jam viros, non prorsus imparatos a litteris, numerat Provincia, et in majore adhuc est spe aliorum, magna ex parte favoribus, incitamentis, et providis utriusque consiliis merito tribuit Patria. Aegerrime vir cultissimus ferebat, desiderari in Bosnia viros Religiosos, qui perdifficilia Turcarum scripta, quorum usus quotidianus est, legere possent, atque interpretari. Erat omnino triste, varias imposturas, quin et funestas etiam sententias, ab ocultis, astutisque adversariis, commendationis loco muneribus impetratas, ferre secum ad tribunalia, quasi colubrum in sinu; nec scire rectum, expeditumque usum earum facere scripturarum, quibus reapse audaciae, et rapacitati, atque atroci opprimentium violentiae, altiori auctoritate freni injiciuntur. Intelligebat vir perspicacissimus, quanto, ob id incommodum, opere Religionis profectus retardabatur; et quanta mala, per Orientis idiomatum notitiam, ab omnibus posseut arceri. Id propter, cum eodem insigni Viro Mariano Jakovglevich, nullis fractus repulsis, tamdiu apud Celsissimum Principem Hungariae Primatem Ruduay, Excelsum Consilium Regium Hungaricum, et Caesaream Aulam Viennensem plurimis egit litteris, donec tres ex Bosniensi Missione alumnos in Orientis linguis Viudobonae erudiri obtiuuisset. Quo quidem conatu id consecutus est, ut, quod omnium prudentium summis expetebatur votis, regulare earumdem linguarum studium in Provinciam jam sit invectum: quod sane ignoramus, an uspiam in toto Turcarum imperio apud subjectos obtineat Christianos. Quominus alia plura, quae pro publico bono magnis agitabat animis, efficere potuerit, inopia rerum, et gravissimus impedivit metus. Neque enim, ob sinistras Muhammedanorum suspiciones, limites regui umquam audebat transire, quo ipsemet in persona, ut cupiebat, res gregis agere posset: quod nisi obstitisset, nihil non ab ejus dexteritate, et gratia poterat expectari.

9. Neque tamen ullam praetermisit occasionem, quae aliquid facere videretur ad mitigandam tristem contribulum sortem. Quapropter volumine integro miserias populi, lacrymasque complexus Christianorum, quo certius sublimi Portae innotescerent, Austriaco olim in Bosnia Consuli obtulit, etsi, quam ardenti, tam inutili fere conatu, remittente Consule a pristino solandi Christianos fervore. His, aliisque plurimis frangi non est passus, verum collatis cum Provinciae Senioribus in medium consiliis, non destitit Romam, Viennamque exorare, ut tristis suorum status, et oppressa vel ipsa naturae, ac communia humanitatis jura, harum benigna Aularum operâ, Sultano, legitimo utpote Imperatori nostro, genuine referrentur; indeque malis aliquod obtineretur remedium.

10. Nemo exterorum aliquod, quantumvis tenue, beneficium, seu toti Missioni, seu cuiquam ipsius membro, uti Clericis, per varias regiones dispersis, praestitit, quin vir gratissimus eo haberet loco, uti si in semet esset collatum; gratesque sua confestim manu persolveret, dum rei modo esset conscius. Quod si verba, imprimisque redacta in formam epistolae, habentur tamquam pictae cogitationum tabellae, variarumque cordis affectionum oculis quasi subjectae imagines, quae ipsam quodammodo scribentis promant indolem: nae mentem Augustini lucidam, animum vero necesse est fuisse nobilissimum: quippe e cujus omnibus epistolis, nescio quis eximius, suavisque animi candor, et character, si non expressus, certe cum quadam majestate velut adumbratus traducet; simplex scilicet, gratus, pius, modestus, et apostolicae fragrans unctionis odore: talis denique, qui lucet semper, et una calefacit. Quamobrem in Italia neque, ac ditionibus Austriacis epistolae ejus, et cum peculiari viri reverentia suscipiebantur, et in conversationibus subin honorifice legebantur. Augustus Austriae Imperator Franciscus I. virum hunc, quem olim ad suam Caesaream mensam non semel adhibuit, tanti semper faciebat, ut in quovis suo cum Bosniensibus colloquio, in signum cujusdam praedilectionis, primo loco quaereret: « quomodo valet meus Augustinus ? » subjungens: litteras ejus valde libenter lego, – optimum

omnino habetis Praesulem. » Idem immortali memoria dignissimus Imperator, quo loco haberet Augustinum, augustis testatus est muneribus, quae in Provincia, grata asservantur veneratione. Nec postrema sane laus, tantum tanto placuisse Principi.

11. Pusilli animi est, et parum illuminati, successu rerum prospere gestarum, vel pulchra extolli fama: aut, improbae adulationis, vel etiam ruditatis ignobili moveri laude. Animus probus, quantumvis sublimis sit, atque grandis, sui semper est conscius vacui: nec ulli tutius proprias committi posse credit divitias, immo nusquam in tuto futuras putat, nisi in modesta, atque sincera humilitate: quae sola, ut secura custos, ita universarum decor est virtutum: estque ultimus, et optimus, quamquam minus gratus, plenae sui cognitionis fructus. Haec, quam praeclare, sapienterque docuit Augustinus, tam constanter tota tenuit vita. Nam etsi merito in ore omnium, atque corde versaretur; quod non poterat talis vir non suspici simul, et diligi: de se tamen ita humiliter sentiebat, tamque parum sibi fidebat, ut, quamvis consilio ipse plurimum in omnibus valeret, tamen a plerisque, etiam rudibus, privatim subinde accitis, sibi consilium dari rogaret. Nec tantus vir erubescebat, juniorum etiam censurae sua subjicere scripta, precesque addere: ut naevos, quos, sibi diffidens, putaret subesse, corrigerent, aut modum ipsum rei melins gerendae suggererent, quid, non quis consuleret, plurimum spectando. Severitatem ejus omnis vel a procul exhorrebat adulatio: neque enim nisi monitores admittebat ille sui victor amoris. Prout vero insigni modestia, in omni paulo graviori re consilia semper expetebat, ita rara docilitate, amicus non sui sensus, sed communis boni, optima quaeque amplectebatur. Quare tantam cunctis in se fiduciam inspiravit, animosve sibi adeo demeruit, et devinxit, ut, cum eum moneri a se, docerique velle intelligerent omnes; optimi quique ab eodem vicissim moneri cuperent, atque emendari: tanta siquidem erat correctoris, ab omni utique inordinata vehementia alienissimi, humanitas, patientia, charitas, et prudentia. Verum quo gradu haec, aliaque or-

namenta virum commendaverint, ex tenore privatae ejus vitae paulo clarius perspicietur.

12. Fuit vero vitae illius haec perpetua ratio, a cujus rigida observantia fortis viri animus vix umquam, gravissimis etiam incommodis potuit dimoveri: summo mane auroram semper antevertens, primus omnium Ecclesiam petebat, fervidas de more preces fusurus: auditisque pluribus saepe Sacris, ipse deinde celebrabat tanta pietate, tam exacta SS. Caerimoniarum observatione, ut durum admodum cor esse deberet, quod solo ejus aspectu ad devotionem non moveretur: sacerdotem vero, quisquis adesset, nimis vecordem, hebetemque esse oporteret, qui in tam praeclaro speculo, et practico quasi, ac vivo sacrorum rituum libro suos non adverteret naevos, seque ad ejus exemplum non studeret componere. Peracta devotione, in partibus sacri muneris totum tempus ad meridiem usque sedi affixus, plurimumque scribens, et decem fere postremis annis prorsus jejunus, ferrea patientia extrahebat. Tum, signo dato, ad refectionis communem locum se cum Fratribus conferebat, nulla re ab aliis distinctus, praeter elegantem morum suavitatem, et mire decoram personae, verborumque gravitatem. Et vero erat Augustinus eximium quoddam exemplar, nescio cujus morigerae, gravis, unaque peramoenae conversationis. Sive enim infesta aliqua, et importuna tristitia ex Familia pellenda erat, nemo tam scite serenitatem reducebat; nemo venustiores illo serebat lepores: sive gaudia juniorum temperanda, et graves religionis excitandi videbantur sensus; nemo certiore feriebat jaculo. Verbo, ita disponere noverat sermones in judicio, ut et jocus levitatem non redoleret, et auctoritas conservata hilaritatis non minueret gratiam. In eo uno erat, quod omnes imitarentur: novitii modestiam, omnique ex parte pulcherrime compositos mores: Praeceptores prudentiam: Superiores Ordinis moderationem: omnes denique modestae probitatis, comitatisque eximiae haud fucatum exemplar. Quo fiebat, ut, dum in visitatione canonica constitutus abesset, in tota Familia sui continuum cieret desiderium, cibusque sine illo sapore carere videretur: Pater simul, et delicium omnium Fratrum habitus. Numquam omit-

tebat post refectionem illico Ecclesiam adire, gratias Deo, ut fit, acturus una cum Religiosis, quorum Instituta in partibus vel minimis solertissime semper observabat. Inde rediens ad destinatum sacerdotum conversationi locum, probatum aliquem librum vel ipse praelegebat, vel ab alio curabat legi, quod ex veteri more quotidie in Provincia solet fieri. Vix quisquam ex hac conversatione discessit, qui non factum quodpiam, aut dictum Augustini alta sibi mente reponendum putaret. Soluto conventu, ad suum digressus cubile, post aut nullam, aut brevissimam a meridie quietem, consuetis se avide reddebat functionibus. Solebat autem media circiter hora ante vesperum graviores suspendere labores, et pro recreatione quotidie ad quemdam altum, et ingenti saxo eminentem, nec ita procul a Coenobio remotum collem pedes cum aliquo Religiosorum exire, sed semper Rosarium, aliasque ex usu Ecclesiae recitans orationes, quas, per Breviarium sparsas, omnes fere mente tenebat. Quo magis vero, expeditiusque orationi posset, aliisque boni Pastoris vacare curis, caenam sibi adhuc juvenis interdixit: dumque alii in refectorio essent, ille abditus in angusto Chori angulo, sacras meditationes in seram noctem per plures protrahebat horas. Et qui numquam auditus est queri contra studentes, (amabat vero eos summopere) aliosque concitato suam gressu turbantes quietem, ipse tam cauto, ac levi passu, Choro egressus, ne cui vel minimum quid molestiae afferret, noctu per conventum ferebatur, ut furtim ire videretur. Tum demum fessa membra brevi dabat quieti; solitus lectum sibi ipse sternere, quinimo saepe suas emendare vestes, et, quo nihil quasi laboris cubiculario circa se relinqueret, alia humilia agere. Singulis vero septimanis, quoad in Coenobio manebat, biduum integrum, a meridie feriae quintae, ad sabbati usque meridiem, solo tolerabat pane: et dum feria 6. Fratres se reficerent, ipse in Ecclesia mysteria viae Crucis recolebat.

14. Tam sancta exempla, quot sint nacta imitatores, non est hujus loci dicere. Sufficiat solum innuisse: quod tantus vir, isque Hipponensi in multis Antistiti haud absimilis, non potuit non ipsas quodammodo sanctificare Fa-

milias religiosas. Teneras profecto lacrymas multis sua eliciebat insigni humilitate, quum videlicet, Clericis pedes hospitum sacerdotum de more lavantibus, ipse conclave furtim subiens, pelvi, aqualique adempto, ad pedes hospitis procumbebat; et, nequicquam reluctantem sedere jubens, facetisque narratiunculis ingeniose fallens, mundissime lavabat: ac, postquam diligenter extersisset, pedes ipsos, ob sacerdotii reverentiam, furtivo honorabat osculo. Hoc demissionis exercitium fuit illi admodum familiare.

15. Quae in victu, et potu, eadem etiam in vestitu, ceterisque rebus singularis fuit viri temperantia. Vestes viles, assumentisque refectas sub religioso deferebat habitu, quem plurimum venerabatur: faciebat vero id, caritatis etiam gratia; ut nimirum ex tenui suo stipendio plus aliquid tribuere posset egenis, quorum paternam semper gerebat curam: item, ut decenti Ecclesiae decori posset magis consulere. Praecipuum in cella ejus ornamentum fuit Crux Salvatoris, politae insistens calvariae: hanc secum ex Italia detulit, eamque dicebat esse cujusdam sui amici, praecociter exstincti. In illa, tam amici, quam ipsius mortis praesentem contemplari amabat imaginem. Supellex reliqua tota semper fuit pauperrima. Si quis munusculo aliquid ei obtulisset: primum grato acceptabat animo, tum illico, suavi quadam humanitate, reddebat offerentibus, monens, ac demum cogens, ut, qua voluntate donatum ipse accepisset, eadem reciperent illi restitutum: nec umquam adduci potuit, ut ab aliquo munus quodpiam acciperet. Erat porro frigoris patientissimus, et plures hiemes, pro climatis indole, valde frigidas exegit, quin calore ullo intemperiem aëris in cella mitigari pateretur. Quam indulgens erga alios, tam durus erat in se, atque austerus, a quo, gravi etiam morbo laborante, impetrari vix poterat, ut jejunii tempore carnibus vesceretur. Infirmi, plus solatii, auxiliique, quam ab eo, percipiebant a nemine: erat enim et artis medicae satis peritus, neque variis carebat medicamentis; quodque caput est, summa sane tenebatur charitate solandi, ac juvandi cujusvis afflicti.

16. Sed cum nimis longum foret, singula viri hujus persequi decora, illud unum nequit taceri: eum, interca-

pedino viginti octo annorum sui muneris Apostolici, cum omnibus, iisque diversis Superioribus Ordinis in Provincia, tali concordia almam coluisse pacem, (insigni sane prudentia, ac moderatione) ut maximum inde bono Religionis, societatisque incrementum accesserit. Ut enim in rebus aliis, sic in suorum usu jurium vir fuit temperatissimus: et, cum non nisi unam charitatem, unamque omnium spiraret salutem; ubi illam turbari, aut hanc promoveri non posse praevidebat, ab omni juris persequendi tumultu sibi temperabat, quamvis subinde opportunitas daretur: nihil unquam studio vindictae, aut quo alios confunderet, agere solitus: ut qui ignobilem omnem putaret esse triumphum, si cum eo conferatur, quem quisque de se ipse retulisset. Tanto major virtus in viro, quod indolem, suapte natura fervidiorem, tam egregie edomuit, ut, si quid sibi soli etiam injuriâ fieret, id aequo, pacatoque ferret animo, indignissimumque duceret suam in hujuscemodi rebus ostentare auctoritatem. Malebat enim se diligi, quam metui: eaque fuit in suos indulgentia, ut quos amare deberet, irasci eis nefas duceret: quo fiebat, ut quod alter vix imperio consequeretur, ille benevolentia obtineret. Facilis sine imbecillitate; firmus sine pervicacia, inter extrema, duce virtute feliciter semper incessit. Quodsi sinistra relatione aut etiam opinione de aliquo erat praeventus, errore comperto, humilis confestim veniam petebat; idque denuo, ac iterum, jam celebraturus faciebat, solitus dicere: amputa, venerande frater, opprobrium meum, quod suspicatus sum. Qua eximia moderatione illud assecutus est, ut omnes Religiosi eum unum consulerent, audirent, colerent, amarent, virumque divinitus datum summa observarent reverentia: neque solum inferiores, verum etiam Superiores ipsi Ordinis, ac Provinciae, in iis quoque, quae sui essent juris, ab ejus ore sponte, ac libentissime penderent. Tam magna concordiâ, non potuere res parvae etiam Religionis laete non crescere in Bosnia.

17. Juvat adferre unum exemplum ejus modestiae, atque humanitatis. Cum in penultima sua visitatione in confinio Slavoniae ageret: miro ejus videndi desiderio incensus Excell. D. Carolus Raffay, Ecclesiarum Bosniensis,

et Diakovariensis canonice unitarum Episcopus, missis litteris rogabat eum, ut se, non amplius uno die distantem in quadam suae Dioeceseos Parochia conveniret: id se vehementer optare, nec de reciproco ejus dubitare affectu. Obtinet interim a praefecto arcis Essekiensis militiae arbitrium, et triumphali pompa eum excipere parat. Re intellecta, Augustinus rescribit quam humanissime, negatque se venire posse, juste veritus, ne quam Turcis suspicionem injiceret, neu Clerus, populusque sua causa aliquid pateretur. Aegerrime id tulit Praesul Diakovariensis, nec tamen amplius ursit, convictus de periculi gravitate. Augustinus interim, ut erat grati, tenerique animi, hunc modum inivit satisfaciendi amici desiderio: vetat die sequenti quemquam suum ingredi cubile, aut se requirere; aliis utpote rebus occupatum. Commodat interim vestes rusticas; comparet in forma servi; agit famulum Parochi, apud quem diversabatur, et cum eodem noctu Savum transmittit; solo Parocho, et quem a secretis habebat, arcani conscio. Ubi adversam fluminis attigerunt ripam, Parocho egresso, et cum amicis confabulante, suis humeris hippoperas, aliaque impedimenta ex lintre effert: et sexagenario major, graves sarcinas, quo magis lateat, nemini cedit, solusque post Parochum magno tractu bajulat. Venitur sic ad aedes proximi Parochi Slavonitae, a cujus veteri amicitia Bosniensis obtinet illico bigas: ficto autem famulo porrigitur frustum panis hordeacei, et vinum in testa, quo vires ab onere reficiat: bibit, et sapide comedit: gerit curam impedimentorum: domino alacriter obtemperat: et sic latens conscenso curru, circa meridiem eo adpellit, ubi amicus Antistes s. functionem actu peragebat. Ibi majori adhuc studio nutum domini observat: sarcinis onustus aedes ingreditur, et in secreto conclavi finem functionis praestolatur. Comparet interea Episcopus ex Ecclesia, numeroso stipatus Clero: fit secreti particeps, omnique remoto arbitro, conclave ingreditur: videt desideratum hospitem, quem triumpho excipere meditabatur, in rudi amictu latentem; et, teneris indulgens affectibus, amplectitur, lacrymisque perfundit: nec distinguit, quid magis stupeat, utrum teneritudinem amici, an viri mode-

stiam, an conversationis suavitatem. Ubi tantisper amicitiae indulsere, rogat Augustinus collegam, ut, se relicto, cum Clero, diu jam expectante, mensae accumbat, cauteque celet secretum. Prandet et ipse solus, mutuisque postmodum officiis praestitis, parat discessum. Humanissimi quique ex Clero, et dignissimi comitantur Parochum per vestibulum, singulique rogant, velit venerabunda eorum officia suo deferre Episcopo, qui interea villosis, rudique lana hirsutis vestibus indutus, sarcinas post parochum gestabat. Multi, hoc ipso tempore, venerabili senis aspectu capti, quaedam curiosius ex ipso sciscitabantur, jamque sermo circa suam personam coeperat versari. In angustias redigitur Augustinus, qui tam diligens erat veritatis, ut omne vel levissimum execraretur mendacium: verum foecundi promptitudine ingenii veritatem cum secreto salvavit. Parochus, hoc periculo comperto (ut erat dexter, et prudens, atque Augustino merito carissimus *) interrumpit sermones; durius illum habet; increpat; curam equorum habere jubet, et quo ocyus sarcinas currui aptare. Vix veteranus famulus promptius, atque accuratius mandata exequeretur. Unus Canonicorum, contemplans attentius micantem trans supercilia, decore, largiterque deflua, vivacissimum oculorum obtutum, suavissima quadam pietate temperatum; faciem item liberalem, et ingenuum vultum, totiusque formae nobilem quamdam dignitatem, altum de sene concipit sensum: et suspicatus, quid rei esset, tegit suspicionem prudenti silentio: sed in tam tenera scena, nequit lacrymas continere. Disceditur, nulla alia suspisione relicta: totaque res servatur arcana, ut hodie etiam perpaucis sit nota. Crevit deinde ad obitum usque amborum amicitia, et mutua aestimatio. Non erat facile Augustinum nosse, et familiaritatem ejus non expetere. Novi virum conspicuum, a nostris quidem sacris alienum, sed multa eruditione, atque ingenio philosophico; qui cum ab Austriaco ad Bosniense Gubernium esset missus, et Augustinum in certa convenisset parochia, tantum ejus conversationis captus est elegantia, ut palam

* *Huic nomen est A. R. P. Elias Starçevich.*

dicere soleret: se, si alas haberet, nullum earum usum prius facturum fore, quam denuo inviseret Augustinum in Bosnia. Quo magis pateat, eum cuivis hominum classi, nedum aetati aptum fuisse. Sed jam instabat luctus Bosniae.

18. Nam, cum omnia Provinciae, Missionisque negotia in magna spe serenioris adhuc sortis essent, et ipse almus Praesul, provecta nequicquam obstante aetate, vegetus viribus optime valeret, immo diuturni laboris invicta patientia, dicendique robore juvenes quosque antecelleret, atque in vultu nova quadam venustate etiam reflorescere videretur, omnibus longam adhuc eidem aetatem, mente tacita, ominantibus; saevus morbus, quo vulnus cunctis infligeret acerbius, majusque relinqueret ejus desiderium, confecit juvenem vel in ipsa senectute, dum visitationem canonicam in Livnensi parochia perageret. Contraxit hunc in ipso sacro munere pastorali: dum videlicet, diutissime, veluti sui oblitus, ac magna vehementia, verba faceret ad circumfusam multitudinem, atque, tum prioribus festis, cum praesertim die Principi Apostolorum dicata, et Dominica sequente, sub dio, voce valida cum adverso vento, ut audiri ab omnibus posset, luctaretur. Postrema hac heroica concione, munus suum apostolicum, simul et sacerdotale, tamquam nobili sigillo, obsignavit. Mox enim, expedita functione, cibum recusans, lectum petiit, et vehementibus laterum puncturis coepit tentari, inde ab initio morbi praedicens, se eo fore decessurum. Aliis vero nullum adhuc periculum suspicantibus, dicere solebat: filii mei, manete in simplicitate vestra; hoc autem caput jam ut mortuum habetote. Comperto praesenti mortis discrimine, feruntur undique praecipites ex remotis etiam locis, et per noctis tenebras, dispersi animarum curatores, ut suavissimum patrem vivum adhuc videre, et ultima ejus benedictione possent potiri. Ipse vero, confecto jam ante plures annos testamento, quod vix etiamnum sine lacrymis legi potest, quoque Fidem Catholicam, et S. Sedem Romanam, peculiari reverentia semper a se habitam, suis pro omni hereditate relinquebat, morti jam proximus, paucis, quae dicere poterat, verbis omnium corda feriebat;

et in persona Guardiani, qui periculi admonitus, ex trium dierum itinere anhelus adpulerat, (petita prius ab omnibus Fratribus venia) omnibus pariter postremam, sublata manu, benedictionum Apostolicam impertivit: demum inter pias preces jaculatorias, et devota ad Salvatorem, Virginemque suspiria, ut semper integer vitae vixit, sceleris que purus, ita omnibus munitus sacramentis, in manibus moestissimorum Fratrum non modo pie, verum etiam in odore sanctitatis expiravit die 18. Julii 1831. aetatis anno vix completo 68, post brevem quindecim dierum langnorem.

19. Ad tristissimum nuncium non jam lacrymis ora Fratrum madebant, sed tamquam fulmine icta, prae doloris magnitudine attonita mansit Provincia. Nec enim res vulgaris erat: virum, tam raris naturae, gratiaeque donis conspicuum; tam eximiis virtutibus propriis coruscum; tam praeclara fama domi, forisque cognitum; Religioni, Patriae, bonoque conservando ordini tam necessarium; patrem item tenerrimum simul ac omnium delicias, eo, quo minime timebatur, tempore, de repente amittere, inopinatoque tam nobili spoliari ornamento, quo Cathedra Bosniensis merito in omne gloriabitur aevum. Cum autem omnium corda acerbissimo torquerentur moerore, soli incolae parochiae Livnensis, in qua bonus Pastor decessit, in medio luctu, hoc uno se solabantur, quod, qui erat quandoque moriturus alibi, peculiari Coeli favore in ipsorum gremio obiret: ea enim sola ratione, se eum sibi perpetuo vindicare posse sperabant. Jamque aemulatio inter illos erat oborta, singulis communitatibus eum suo coemeterio inferre adlaborantibus, adhibita etiam Turcarum ad id opera: quorum unus, missis nunciis, honorem hunc pago suo deferendum esse minaciter contendebat. At fratribus visum fuit proprio uti jure, et eumdem ad Coenobium suum Fojnicense deferendum curare. Ubi vero, rebus tota nocte dispositis, summo mane a confluente populo, antequam feretrum equis imponeretur, humeris exceptus, et ad quamdam planitiem delatus, depositus fuit, ut inde ulterius equis ferendus a multitudine traderetur: tum demum vulgus in amaras fuit solutum lacrymas, fuitque non nemo, qui ipsos Religiosos his querulis incesseret dictis: injuria-

rum jam tandem desinite! abstinete plus vulnerum! cur domos nobis succenditis? cur liberos aufertis? Praesulis enim exuvias nobis adimere, utrumque est fecisse. Tanti vel sola viri lipsana fiebant a populo. Cedendum itaque fuit non tam precibus, quam suspiriis turbae lacrymisque. Erat vero res singularis spectaculi cernere in iisdem vultibus diversas origine misceri lacrymas, repentini rore gaudii insequente pendentes adhuc guttas moeroris. Fit ingens animorum mutatio, miraque serenitate tristes subito emicant frontes. Volant per pagos, et praecipites feruntur ad civitatem Livnensem nuncii, qui referant, Praesulem sibi donatum esse. Magna ubique moestitiae miscetur succeditque hilaritas, ipsis adeo Turcis congratulantibus. Dum autem reflexâ viâ, ex distantia duarum circiter horarum a gratulante sibi turba certatim portaretur ad pridie jam paratum sepulchrum in eo coemeterio, ubi olim sacra Aedes Principis Apostolorum exstiterat, omnis aetas utriusque sexus viis tranversis occurrere properabat. Ubi inter hymnos, et cantica sacerdotum, devotasque populi preces, ad locum ventum fuit, cadaverque depositum; pietas Fidelium, variis grati odoris floribus illud conspergendo, loculum ipsum osculis certatim honoravit.

20. Tum unus fratrum surgens pro concione, postquam multa praeclare dixisset, intimis cedens cordis affectibus, quaedam in hunc modum interseruit. « O altitudo » sapientiae, et scientiae Dei! quam incomprehensibilia » sunt judicia tua, et investigabiles viae tuae! ut quid, » bone Deus, tot inutilia in terra relinquens pondera, tan» to decore hanc tuam spolias Ecclesiam? tam sollicito » pastore tristem gregem privas? virumque Religioni, et » familiae tuae tam necessarium intempesta adimis mor» te? Verum, AA., his coelestibus arcanis non immorabor » explicandis: nam, quam suaviter sublimis Dei sapientia » in rebus ludat humanis, audistis saepe ex ore illo au» reo, cujus sonora vox, ante hos quindecim dies, in ve» stris tonabat auribus: heus os! praeclarissima legis » divinae tuba! siccine fieri oportebat, ut rapax illud » robustae, et apostolicae eloquentiae flumen, ita repen» te exsiccaretur? et ut tuae sono vocis vix nostris in au» ribus extincto, te morte tam cito clausum tristes hic

» modo spectaremus? . . . Benedicti sint labores, sudoresque tui, Pastor fidelissime! benedicta organa vocis, qua » docti, exempla vitae, quibus fuimus instructi! En in » persona mea, totus Clerus, populusque tuus, his vel » exuviis tuis summas tenerrimasque agit gratias, aeternam tui memoriam suavissimam posteris quoque transmissurus... Vade felix anima, et Coelo, quam terris gratior, digniorque ad empyreas evehitor sedes, totque » exantlatis laboribus meritam accipito coronam: et quae » opis nostrae minime, ut pie confidimus, indiges, res » gregis vidui, potentior jam, porro curare momento . . » Custodiae tuae, o bona terra, hoc pretiosum Creatoris » committimus opus: sis ei, quaesumus, benigna, atque » levis: et, quae fidelis bona tibi tradita semina cum foenore reddis, fac germinent plures in Bosnia Augustini: » hunc vero fove, cauteque serva; donec in magno illo resurrectionis die, gloriosa ejus luce, tu cava resplendeas . . . »

Vivens adhuc hoc sibi in quadrato frustillo pergamenae scripsit epitaphium: *In hoc Sarcophago gloriosae Resurrectionis diem praestolatur corpus Fr. Augustini Milletich, Episcopi Dauliensis, et Vicarii Apostolici in Bosnia. Obiit die.. 18.. Mense.. Julio.. Anno..* 1831. Hoc epitaphium, vitreo vasculo, eoque deaurato inclusum, eadem manus, quae haec scripsit, deposuit in tumulo ad dextrum capitis ejus latus, inverse, ne quid ab humore pateretur: cui analoga in lapide sepulchrali haec, praeter alias, fuit posita inscriptio: CUR HIC RESOLVOR SUMMI NOBILE OPIFICIS OPUS? TRANSFIGURATUM SCILICET UT MORTALE HOC, GLORIOSAM INDUAT IMMORTALITATEM.

Peremnet gratissima optimi Praesulis memoria in benedictione.

Imprimatur. Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.
Imprimatur. A. Piatti Archiep. Trapezunt. Vicesgerens.